



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 66. Joanni Castellæ Regi succedit Henricus III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.  
A. C. 1393.

§. LXVI.

*Joanni Castellæ Regi succedit Henricus III.*

*Vita PP.*  
*p. 526. 527.*  
*Mariana*  
*l. 18. c. 13. 15.*

Joannes Castiliæ Rex solum triginta tres annos habens die Dominica 9 Octobris an. 1390 vitam subito amiserat de equo lapsus: quod Romani adscribebant ejus studio erga Clementem. Successit illi suus filius natus major Henricus III vix decem natus annos, ob affectum corpus cognomine Dolens, seu Valetudinarius. Cum minor annis esset, regni Optimates tum sacri, tum profani diffidebant de summa rerum administranda. Præstantissimos inter Præfules erant Petrus Tenorius Lusitanus Toleti Archiepiscopus, ac ex parte altera Joannes Manricus Archiepiscopus Compostellanus, ac regni Cancellarius. Discordia eo processit, ut Toletanus Antistes, ac Petrus Auximanus Episcopus carceri mandarentur. Quamobrem Zamora, ubi capti fuerant, Palentia, & Salamantica interdictæ divinis fuere.

*c. 18.*  
*Gall. Chr.*  
*to. 1. edit.*  
*1715. p. 29.*  
*30.*

Post rem compertam maximo incœre afflictus Clemens Dominico Florentino ex Ordine Prædicatorum tunc Albigenfi, antea Pontiofanensi Episcopo cum dignitate sui Nuncii in Castellam misso Regem censuris exsolvendi potestatem fecit, ejus ætatem, libertatemque captivis jam redditam considerans. Mandatum dedit 29 Maji an. 1392. Nuncius egit tam dextere, ut res componeret: tum parvum Regem in genua provolutum absolvit in cathedrali templo Burgenfi præsentibus tribus Episcopis die Veneris 4 Julii an. 1393.

HISTO-